



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Tractatus De Statu Hominis Morali In Vita Et Post Mortem**

**Opfermann, Paul**

**Moguntiae, 1769**

Quæstio V. Quæ requirantur ex parte suscipientis ad lucrandas  
Indulgentias?

**urn:nbn:de:hbz:466:1-40701**

tyrum preces tanti fieri conspicerent. Denique non eodem modo judicandum est de causa Indulgentiæ, cum uni alicui conceditur, & cum datur in communi omnibus: in priore enim casu oportet, ut opus uni soli inunctum sit proportionatum fini, propter quem datur Indulgentia. In posteriore autem necesse non est, ut opus singulorum, sed tantum ut opus omnium simul proportionatum sit fini. Hinc fieri potest, ut Indulgentia maxima sit justissima, etiamsi opus inunctum singulis leve videatur.

### Q U A E S T I O V.

*Quæ requirantur ex parte suscipientis ad lucrandas Indulgentias?*

Certum est, solum baptizatum Indulgentiæ ca- 208.  
pacem esse, tum quia actus Jurisdictionis, Per-  
qui exercetur concedendo Indulgentias vivis per mo- fo.  
dum absolutionis, non nisi in subditum exerceri na ca.  
potest; tum quia thesaurus Ecclesiæ non nisi in ejus paces.  
membra distribui debet. Nec minus certum vide-  
tur, innodatum excommunicatione majori Indul-  
gentiarum incapacem esse, nam talis per excom-  
municationem privatur communibus Ecclesiæ suf-  
fragiis, & bonis inter membra Ecclesiæ unita divi-  
dendis. Nec prodest illi ad hunc effectum, quod  
aliquando contritus sit, nam sicut privatur Sacra-  
mentis Pœnitentiæ & Eucharistiæ ante absolutionem  
à censuris, quamvis sit contritus, sic privari etiam  
debet Indulgentiis. Similiter Catechumeno etiam  
in gratia existenti non conceditur Indulgentia, ne-  
quidem per modum solutionis & suffragii, quia  
numquam Ecclesia hac potestate usa est. Potest  
equidem quivis alius satisfactiones suas pro Cate-  
chumeno offerre, quin tamen Pontifex pro illo of-  
ferre possit satisfactiones Christi & Sanctorum: nam  
qui-

quilibet satisfactionum suarum dominus est, cum Papa non sit nisi dispensator satisfactionum communium juxta præscriptum Christi, qui non præsumitur velle eas dispensare in illos, qui Ecclesiam visibilem nondum ingressi sunt. Infantes & perpetuò amentes uti nullius culpæ, ita nec pœnæ peccatis actualibus debitæ, proinde nec remissionis capaces sunt. Qui verò caret usu rationis propter amentiam supervenientem, si alioquin in statu gratiæ sit, videtur lucrari Indulgentias posse, sicut enim amentibus & ignorantibus per Missæ Sacrificium applicari potest satisfactio Christi, ita & per Indulgentias, quæ in hoc casu rationem solutionis habent, ad quam sufficit passivè se habere. Adest etiam intentio saltem interpretativa, quæ uti sufficit ad hoc, ut amentis, qui aliquando usum rationis habuit, conferri Sacramentum Extremæ Unctionis possit, ita satis est ad lucrandas Indulgentias.

209. *Ad Indulgentias lucrandas ex parte suscipientis requiritur status gratiæ, & integra executio omnis operis à Pontifice præscripti.* Et primò quidem requiritur status gratiæ, quia Indulgentia est favor solis filiis Dei adoptivis & amicis destinatus, ut ait CLEMENS VI. in Extrav. *Unigenitus*, de Christo sic loquens: *Thesaurum militanti Ecclesiæ adquisivit, volens suis thesaurizare filiis pius Pater.* Unde etiam Indulgentia numquam à Pontifice conceditur nisi confessis, aut saltem contritis. Et quomodo dignus sit, cui remittatur pœna, qui in peccato mortali existit, adeoque pœnam sempiternam promeritus est? Indulgentia non est nisi remissio pœnæ temporalis, quæ locum non habet, ubi est reatus pœnæ æternæ. 2<sup>o</sup>. Necessaria est integra

tegra perfectaue executio operum à Pontifice præscriptorum, nam Indulgentiæ concessio est conditionata, sub conditione istius impletionis facta; igitur non valet nisi conditio impleatur. Et quidem ex communi sententia concessio Indulgentiæ est unica & quasi indivisibilis sub tali determinata conditione; ideoque qui totum opus non implet, nihil consequitur, quia simpliciter non implet conditionem impositam; nec etiam per concessionis formam quidquam promissum est ei, qui partem duntaxat implet. Indulgentia autem est favor maximè voluntarius, ideoque non valet nisi juxta voluntatem concedentis. Qui proinde etiam citra culpam, sc. vel ex absoluta impotentia, vel oblivione, vel ignorantia invincibili omittit opus aliquod injunctum, vel partem ejus saltem notabilem, nihil Indulgentiæ consequitur. Quare Summi Pontifices, quando volunt Indulgentiam percipi ab iis, qui opera per Bullam præscripta perficere nequeunt, dant Episcopis, vel Confessariis facultatem hæc opera in alia commutandi. Requiritur itaque confessio, ubi Indulgentia conceditur sub hac forma: *verè pœnitentibus & confessis*, quia tunc confessio exigitur, non ut procuretur status gratiæ, sed tamquam conditio, sive ut pars operis injuncti, quin sufficiat contritio perfecta, nam verba talis formæ, prout sonant, confessionem præter pœnitentiam requirunt; tantum autem valent Indulgentiæ, quantum sonant. Immo & qui venialium sibi duntaxat conscius est, confiteri debet ad lucrandam Indulgentiam, cum Bulla generatim exprimit confessionem. Homini autem peccati mortalis conscio, dum Bulla exigit commu-

nio.

## 686 DE INDULGENTIIS.

nionem, necessaria est confessio, etiamsi hæc non exprimatur, quia communioni necessario præmitti debet confessio mortalium per Sacramentum poenitentiae nondum remissorum. *Oratio* ubi per Bullam præscribitur, intelligi potest sive mentalis, sive vocalis; tutius est mentali vocalem miscere. Istud certum est, non sufficere orationem cum voluntariis distractionibus factam, quia hæc neque devota est & pia, nec apta ad impetrandum id, quod Pontifex intendit. Quæ intentio est pax inter Christianos Principes, extirpatio hæresum, hæreticorum & omnium aliorum Infidelium conversio, exaltatio S. Matris Ecclesiae, nisi alia addatur. Debet autem oratio fieri aliquamdiu in loco & tempore designatis. In communibus Indulgentiis tempus est inter utrasque vespervas. Jejunium fieri extra præscriptos dies & Hebdomadam designatam non debet. Modus servandi jejunii is est, quem singulae Provinciae legitimè servant tali tempore in jejuniis ab Ecclesia præscriptis. Quotquot autem lucrari Indulgentias volunt, præscripta servare jejunia debent, etsi aliàs ex præcepto Ecclesiae ad jejunium non obligentur, veluti infirmi, nisi jejunium ex Pontificis licentia in aliud opus ab Episcopo, vel Confessario commutetur. *Eleemosyna* ubi præscripta est, corporalis esse debet. Eroganda autem est juxta regulas prudentiae cum aliqua proportionem ad dantis facultatem. Si in Bulla dicatur: *prout unicuique charitas & devotio suggererit*, habenda est ratio dictaminis interni plus minusve suadentis. Sufficit dare rem suam per alium. Si tamen eleemosyna non perveniret ad pauperem quacumque ex causa sive casu, sive ex culpa alterius, non

non perciperetur Indulgentia, quia pauper non est sublevatus. Si is, qui eleemosynam accepit, revera pauper non sit, non obest, quia sufficit, si datur ad levandam miseriam hominis, qui prudenter existimatur pauper. Cæterà qui opera præscripta nequit perficere, ipse suâ autoritate ea ne in melius quidem commutare potest, sed is solus, qui hanc à Pontifice potestatem accepit.

Certum est requiri statum gratiæ eo instanti, quo ultimum ex operibus injunctis perficitur, tunc enim Indulgentia applicatur. Utrum verò opera injuncta in statu gratiæ perfici debeant, si Pontifex specialim non exprimat, controvertitur. *Cajetanus*, *Navarrus*, *Comitolus* putant, omnia opera in statu gratiæ implenda esse, ideoque monent confessionem ante omnia alia opera faciendam esse. Communior tamen est opinio eorum, qui docent sufficere statum gratiæ, quando ultimum opus injunctum perficitur, nisi Bulla Indulgentiæ expressè requirat, ut opera fiant in statu gratiæ, per hanc aut similem formam: *Indulgentia conceditur iis, qui verè pœnitentes & confessi visitaverint talem Ecclesiam, vel oraverint, &c.* Ratio illorum est, quia ad finem Indulgentiæ obtinendum non requiritur opus meritorium, aut satisfactorium de condigno, alioquin Indulgentia esset ex meritis, ac proinde non esset Indulgentia. Sed tamen prior sententia in praxi præferenda videtur, quia etsi Indulgentiam lucrari quis possit absque operibus de condigno meritoriis; opera tamen in statu peccati mortalis facta, utpote opera inimici Dei, neque fieri possunt in Dei obsequium, neque etiam satis apta sunt ad obtinendum finem, quem Pontifex

210.  
Sta-  
tus  
gra-  
tiæ  
quan-  
do?

Ponti-

Pontifex per Indulgentiarum concessionem intendit. V. g. Sit finis Indulgentiæ, placare Deum Christiano populo: & ideo injungantur preces, jejunia, eleemosynæ, visitationes Ecclesiarum, & similia: hæc autem si fiunt in statu lethalis peccati, quomodo Deum placabunt? sunt enim opera mortua. Secus, si opus injunctum adhuc utile est ad finem, in quem datur Indulgentia, ut si finis Indulgentiæ sit ædificatio Ecclesiæ, aut Xenodochii; aut pauperum sublevatio, aut recuperatio terræ sanctæ: ad hunc enim finem consequendum pecuniæ conducunt, sive à peccatore, sive ab amico Dei conferantur. Dummodo quis in statu gratiæ sit, quo tempore Indulgentia applicatur.

211. **Ca.** Quæstio: utrum ad lucrandas Indulgentias præter statum gratiæ etiam requiratur carentia omnis reſentia culpæ venialis? à *Bellarmino* ita resolvitur: vel  
 pec. quæstio est de tempore, quo perficiantur opera in-  
 cati juncta; vel de tempore, quo Indulgentiæ fructus  
 venia percipitur. Si de priore, rursus peccatum venia-  
 lis. le aut vitiat opus bonum injunctum, ut si quis oret,  
 vel jejuset ex vana gloria, ita ut ipsum opus ex  
 fine aut circumstantia evadat peccatum veniale, &  
 tunc impeditur fructus Indulgentiæ, si opus illud  
 faciendum erat ad placandum Deum, vel satisfaciendum pro peccato, nec enim per peccatum veniale placatur Deus, nec Deo satisfacit; vel non vitiat, sed per accidens ei conjungitur, ut si quis eleemosynam faciens, aut Ecclesiam visitans loquatur verbum otiosum, aut leviter impatiens fiat; & tunc Indulgentiæ fructus non impeditur. Si de posteriore tempore quæstio sit, equidem peccatum veniale impedit, ne remittatur pœna eidem  
 venia-

veniali non remisso debita; quin tamen impediatur, quominus vi Indulgentiæ plenariæ remittatur pœna debita aliis venialibus, & mortalibus remissis. Prior pars constat, quia remanente culpâ non remittitur pœna. Pars altera sic probatur: veniale non impedit, quominus remittatur mortale, aut aliud veniale; ergo à fortiori non impedit, quominus remittatur pœna mortali, aut alteri veniali remisso debita.

*Respondetur ad objecta.*

*Obj. I.* Indulgentia plenaria datur sub ratione plenissimæ & totalis: si igitur non tollit pœnam veniali non remisso debitam, non habet rationem Indulgentiæ totalis & plenissimæ, adeoque per illam nulla pœna remittitur, sicut quia gratia est remissio omnium mortalium, uno mortali non retractato & remisso, gratia non recipitur, nec aliud quodcumque mortale remittitur, utcumque retractetur. *Resp.* Dispar est ratio inter gratiam remissivam mortalium, & Indulgentiam remissivam pœnarum. Nam in præsentia Providentia nequit unum mortale sine altero remitti. At potest remitti pœna uni peccato remisso debita, quin remittatur alteri veniali non condonato, sicut remitti potest veniale unum, altero non remisso. Dum itaque conceditur Indulgentia plenaria sub ratione totalis & plenissimæ, sensus est, quòd concedatur plenissima juxta capacitatem subjecti; non est autem capax subjectum, ut ei remittatur pœna debita veniali non remisso (nam culpâ non remissâ nec pœna ei debita remittitur) proinde Indulgentiam

tiam plenariam non simpliciter, sed quoad fieri potest, juxta propriam dispositionem lucratur is, qui habet venialia, quamvis per illam omnis omnino pœna non remittatur. Hinc consultum est, dum ultimum opus injunctum ponitur, conari unumquemque ad eos actus exercendos, quibus venialia omnia remittantur, ut simpliciter & absolutè plenariam Indulgentiam lucretur.

*Inst. 1.* Qui ponit medietatem operum injunctorum, non lucratur medietatem Indulgentiæ, quia hæc conceditur indivisibiliter; ergo etiam si non remittitur pœna alicujus venialis non remissi, nulla simpliciter pœna remittitur, alioquin Indulgentia daretur divisibiliter. *Resp. N. C.* Equidem Indulgentia non conceditur divisibiliter *divisibilitate operis injuncti*; conceditur tamen divisibiliter pro capacitate subjecti: nam opus injunctum est conditio, sub qua conceditur; conditio autem est de genere indivisibilium, ita ut dividi non possit, sed tota impleri debeat.

*Inst. 2.* Ergo si opus injunctum ex impotentia impleri non potest, adhuc obtinebitur Indulgentia, quia conditio habetur pro impleta, quando per eum non stat, quin impleatur, per quem impleri debet. Hinc servus, cui sub certa conditione fuit donata libertas, remanet liber, si per ipsum non stat, quominus impleatur conditio. *l. fin. C. de condit. inf.* *Resp.* Conditio dupliciter apponi potest, 1<sup>o</sup> ut respiciat factum ejus, qui ponere illam debet, & tunc habetur pro impleta, quando ex impotentia non ponitur. *l. C. cit.* 2<sup>o</sup> ut respiciat exitum conditionis, & ab ejus executione absolutè

solutè dependeat, ut in casu nostro; & tunc favor non sortitur effectum, nisi positâ conditione.

*Obj. II.* Indulgentiæ tantum valent, quantum sonant. Igitur si plenaria est, aut sub hac ratione obtinetur; aut si non ita obtinetur, nihil valet. *Resp.* Sensus est: Indulgentia ut rata sit, suumque sortiatur effectum, nihil eorum desiderari debet, quæ sive ex parte concedentis, sive ex parte suscipientis requiruntur. Quæ omnia in casu nostro supponuntur adesse. Cæterum hæc quæstio: an Indulgentiæ tantum valeant, quantum sonant, vel quantum ab Ecclesia prædicantur? apud antiquos nata est propter nonnullos errores, qui tunc vigeant, cùm alii dicerent Indulgentias non valere nisi pro mensura devotionis: alii, tantum valere, quantum opus injunctum ex se ad satisfaciendum prodest; alii, tantum valere coram Ecclesia, non coram Deo.

*Obj. III.* Si ad lucrandas Indulgentias plenarias requiritur carentia cujusvis peccati venialis, paucissimi sunt, qui illas lucrentur. *Resp.* Quia pauci sunt, qui omnem etiam adfectum ad veniale peccatum deponunt, pauci quoque sunt, qui plenarias Indulgentias lucrentur. Itaque ex hoc principio certo: culpâ non remissâ, nec retractatâ, pœna quoque non remittitur, sequitur, ad consequendas plenarias Indulgentias necessarium omnino esse, ut quis peccatum quodlibet veniale efficaciter detestetur, nec ullum servet adfectum ad ullum veniale, habeatque voluntatem efficacem universalem, nullum veniale deliberatè committendi, & omnes ejus causas & occasiones proximas tollendi per continuam

tinuam sui abnegationem, & integram sensuum ac cupiditatum mortificationem.

Q U A E S T I O VI.

*Utrum ad lucrandam Indulgentiam plenariam præter supradicta requiratur adhuc alia dispositio ex parte suscipientis?*

212. **S**YNODUS TRIDENTINA Sess. 14. de Pœnit. c. 8.  
 Tri- ita loquitur: "Sane & divina justitiæ ratio  
 denti- exigere videtur, ut aliter ab eo in gratiam re-  
 rum- cipiantur, qui ante Baptismum per ignorantiam  
 de- deliquerint; aliter verò, qui semel à peccati &  
 pœni- demonis servitute liberati, & accepto Spiritus S.  
 ten- dono, scienter templum Dei violare, & Spiri-  
 tia- tum Sanctum contristare non formidaverint. Et  
 divinam clementiam decet, ne ita nobis absque  
 ulla satisfactione peccata dimittantur, ut occasio-  
 ne acceptâ, peccata leviora putantes, velut inju-  
 rii & contumeliosi Spiritui Sancto, in graviora  
 labamur, thesaurizantes nobis iram in die iræ.  
 Procul dubio enim magnopere à peccato revocant,  
 & quasi freno quosdam coercent hæ satisfactoriæ  
 pœnæ, cautioresque & vigilantiores in futurum  
 pœnitentes efficiunt: medentur quoque peccatorum  
 reliquiis, & vitiosos habitus malè vivendo compa-  
 ratos contrariis virtutum actionibus tollunt. Ne-  
 que verò securior ulla via in Ecclesia Dei umquam  
 existimata fuit ad amovendam imminentem à Do-  
 mino pœnam, quàm ut hæc pœnitentiæ opera ho-  
 mines cum vero animi dolore frequentent . . .  
 Debent ergo Sacerdotes Domini, quantum Spiri-  
 tus